

FERIA IV POST DOMINICAM TERTIAM.

DE PECCATO VENIALI.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?
(Matth. 15).

Corruptissimum licet sit præsens sæculum, multos tamen reperire est, qui gravissima quæque penarum genera pati, ac mori mallent, quam gravi aliquo scelere fœdari. Verum o quam pauci peccatis venialibus se inquinare timent! Nulla invenitur modo Theresia, quæ ad nullum veniale deliberate perpetrandum voto se adstringat; nulla nunc Catharina Senensis, quæ mori potius optet, quam vel levissimo veniali animæ suæ sponsum offendere; nulla Paula Romana, quæ ita minimam noxam venialem expiet, ut illam gravissimorum criminum crederes ream (S. Hier. ep. ad Eust. 4); nullus Eusebius, qui unam mentis evagationem quadraginta annis luceat. Aliquos hujusmodi jam invenire foret difficillimum; plerique enim venialia sicut aquam bibunt: ea quasi nihilum reputant multi; immo magna complacentia plurimi ea perpetrant, ac de iis nonnunquam gloriantur. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas* (Cant. 2, 15); hæ vulpeculæ, quæ Christi vineam, seu animas nostras maculant et vastant, sunt peccata venialia, et ideo a nobis abigenda, ac procul pellenda. Ad hanc materiam ventilandam movent me scribæ et pharisæi, qui licet Dei præcepta violarent, et mortalia multa perpetrarent; ægre tamen ferebant, et exproabant Christi discipulis, quod leviter contra seniorum traditionem peccarent: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum. Ave.*

Non semel gravi cum stupore demiratus sum, quam vana et erronea sint plurimorum hominum judicia circa malitiam, penam, et remedia peccati venialis. Malitia, inquit, peccati venialis magna esse non potest: quid enim aliud est veniale

peccatum, quam levis quædam offensa Dei? quid mendacium jocosum? quid officiosum? quid verbum otiosum? quid nugæ, recreationis gratia prolata? quid mali, alicui majori personæ aliquantulum adulari? quid in cibo, vel potu, aliquid magis accipere, quam necessitas postulet? qui tandem omnia peccata venialia, quam levissima et minutissima quædam delicta, sine quibus humana conditio esse nequit? Errant sane, qui peccati venialis malitiam tam levem censent, et proclamant. Errant etiam qui penam, qua punitur, levissimam esse dicunt. Deum, ajunt, qui benignus et misericors est, minuta peccata gravi pœna punire quis credat? adulteria, sacrilegia, homicidia exquisitis quidem suppliciis plectit; ad venialia nec respicere dignatur: septies, inquit, in die cadit justus; attamen licet millies venialiter peccaret, totque venialia committeret, quot in celo stellæ, quotque arenæ sunt in littore maris, propterea gravibus eum Deus tormentis non addiceret. Falleris tu, qui talia cogitas: falleris, qui tam imprudenter loqueris; peccatum enim veniale gravissimum a Deo pœnis punitur. Tandem errant et falluntur qui peccatum veniale quam facillime dimitti docent. Minuta hæc peccata, inquit, unica aquæ benedictæ gutta lavat, levis tunsio pectoris delet, quævis ab episcopo data benedictio fugat; nilque facilius, quam peccata hæc e corde tollere. O quomodo et quantum falluntur tum qui peccati venialis malitiam parvam, et penam levem dicunt, tum etiam qui remedia ejus facilia esse arbitrantur; nam peccati venialis 1. malitia est magna: 2. pœna est gravis: 3. remedia sunt difficilia.

I PARS.

Peccati venialis malitia magna est.

Quamvis peccatum veniale ex se leve esset, ab omnibus tamen summa cura et sollicitudine vitari deberet, quia, ut ait S. Eucherius, longo turpitis est, a debili et infirmo, quam a forti et

potentiore hoste vinci: *in minimis deformijus vincitur*. Absit tamen, ut quis censeat veniale peccatum quid leve et parvi momenti esse; est enim grande malum, ejusque malitia tanta, ut asserat D. Bernardus, eos in Spiritum Sanctum blasphemare, qui hæc peccata levia esse dixerint: *Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hæc est, enim, dilectissimi, impenitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis* (Serm. in conv. S. Pan.). Hanc blasphemiam non proferunt doctores theologi, qui licet peccatum veniale, respectu mortalitatis, leve censeant; illud tamen grave vocant respectu Dei qui offenditur. Peccatum enim veniale, non cujusdam solum hominis, vel angeli, ipsiusmet Dei est offensa, et ideo non leve, imo grave dicendum: *Non est id leve reputandum, per quod offenditur Deus*. Quod et ipsa ratio humana suadet; cum enim injuria crescat ex dignitate personæ offensus, eoque sit gravior, quo persona quæ offenditur, major est et nobilior, quis leve credat veniale peccatum quo irrogatur injuria Deo Optimo Maximo, cujus comparatione, omnes mundi magnates sunt tanquam pulvis et cinis? certe *non est id leve reputandum, per quod offenditur Deus*. Id leve non reputabat S. Bernardus, qui minutissima quævis peccata venialia quæ perpetrabat, veluti convicia in Deum commissa expiabat: *singuli illiciti motus cordis mei sunt quedam in te Deus meus convicia*. Plerique exiguum temporis dispendium, risum leviozem, verbum aliquantulum acerbius, mendacium officiosum, conulan tantisper copiosiozem, cogitationem minus ferreter expugnatam, et alia hujusmodi, veluti non peccata, et quasi quedam ex se indifferentia inspicunt; tantam vero in his malitiam adnotat S. Bernardus, ut hæc quasi piacula et gravia in Deum convicia nuncupet: *sunt quedam in te Deus meus convicia*. In veniali peccato malitiam non parvam concipit ipse Deus, cum eo se vulnerari dicat: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui*. Conqueritur Deus, quod animæ justæ cor ejus vulnerent, non gladio, non sagitta, sed

unico ictu oculi, et unico crine colli; id est, peccatis venialibus, quæ tanta facilitate patrantur, quanta emittitur ictus oculi, et quæ veluti crines multiplicantur. Peccatum mortalium hæc est malitia, quod, ut ait D. Paulus, Christum occidant, et iterum crucifigant: *rursum crucifigentes sibi metipsos filium Dei*. Venialia Christo mortem non inferunt; ast quidem tanta est eorum malitia ut eum aliquando in corde vulnerent: *vulnerasti cor meum*. Hac ratione ductus asserit præfatus Hieronymus, cum peccatum veniale sit offensa Dei, illud leve dici non posse: *an possumus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum committitur* (S. Hier. ep. 4 ad Celant.)?

Docent omnes theologi, minimum malum culpæ, majus malum esse, quam omnia mala pœnæ: *minimum malum culpæ, toto ordine superat omne malum pœnæ*. Et ratio est, quia minimum malum culpæ est offensa Dei, et maximum quodque pœnæ malum non est offensa Dei, solius est malum creaturæ: ac proinde minimum malum culpæ, seu, minima culpa venialis est majus malum, quam maximum, immo quam omnia pœnæ mala simul sumpta. Sic ratiocinantur theologi, et ex hoc principio infert Cancellarius parisiensis, quod si omnes podagræ, calculi omnes, ac omnes pœnitæ morbi a mundi principio usque nunc ab ægris tolerati, in unum confentur, nondum tantum malum erunt, quantum minimum veniale peccatum, quodque *potius toleranda esset omnis mors penalis, et annihilatio, quam committenda esset quantumlibet parva offensa in Deum*. Ex eodem principio infert S. Anselmus, quod si mille a Deo creati essent mundi isto, qui nunc est, majores, et pulchriores; dareturque casus, in quo hi omnes mundi destruendi essent, si quis homo veniale aliquod peccatum non committeret, potius eligenda esset jactura et annihilatio tot mundorum, quam unico veniali Deum offendere. Ex hoc tandem principio inferunt alii, quod si sanctis qui in cœlo sunt, proponeretur, aut veniale committere, aut cœlesti beatitudine in æternum privari, prælergerent a cœlo expelli, quam in veniale cadere. Cujus rei rationem certissimam adduxi

nempe quod veniale peccatum est malum Dei, seu quo offenditur Deus; morbi vero omnes, destructio totius mundi, privatio beatitudinis, et omnia mala poenæ sunt solummodo mala creaturæ, seu quæ creaturam lædunt, quæ mala proinde nihil sunt ac pro nihilo habenda si conferantur cum minima offensa Divinæ Majestatis; ex quo patet vel levisimam noxam magis formidandam ac fugiendam, quam cætera mundi mala. Fatendum ergo minimum quodque veniale esse grave malum, ejusque malitiam esse magnam, ex eo quod Dei non creaturæ sit offensa: *Tu ne leve dixeris, in quo offenditur Christus* (S. Hier.). Maximam jam nostri peccati venialis malitia, quæ sumitur ex suprema Dei offensi majestate; at forte non displicebit, si malitiam ejus etiam auspicemur ex damnis spiritualibus, quæ animabus nostris infert. Aliqua hujusmodi damna recenset D. Augustinus, dicens: *Venialia nostrum decus exterminant, et animam inquinant, eamque velut quibusdam pustulis, et quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad complexus illius sponsi cœlestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant* (hom. 50, 3). Hæc, quæ animabus nostris damna infert veniale peccatum, viris spiritualibus, et contemplativis qui experiuntur, examinanda relinquo. Duo alia solummodo attingam, quæ peccati venialis malitiam clarius revelant; nempe quod auxiliis spiritualibus animas nostras privet, quodquæ eas ad mortalia trahat. Verum est peccatum veniale non adversari gratiæ sanctificanti, nec eam ab animabus nostris expellere; verè tamen propter peccata venialia sæpe Deus subtrahit vel denegat animabus nostris potiora auxilia spiritualia. Qui enim negligenter Deo servit, nec quantum patitur humana fragilitas sollicitus est, ut minimas ejus offensionculas ac quævis venialia vitet, meretur, ut Deus vicissim tantam ejus curam non gerat, tantisque eum beneficiis non afficiat. Sicut inter homines iteratè offensionculæ quæ regi inferantur illius animum tandem aliquomodo exasperant, ac efficiunt ut minor beneficia et rarius amico conferat: ita et peccatorum venialium frequentia Deum provocat erga peccantem, minus beneficium reddit, illumque ad auxilia spiritualia

ei subtrahenda sæpe movet. O magnam peccati venialis malitiam! quam aliunde etiam auspicor, nempe ex hoc, quod ad mortalia trahat. Licet enim omnia venialia, quæ unquam perpetrata sunt, simul sumpta unum mortale non efficiant, nec uno mortali æquipolleani: venialia tamen, ea præcipue quæ emendare negligimus, ad mortale perpetrandum maxime disponunt: *Si parva curare negligimus*, inquit S. Gregorius, *insensibiliter seducti, audent etiam majora perpetrare* (Mor. 10, 14). Et ut ait S. Augustinus, *qui ad vitandum peccata venialia non extat sollicitus, nequaquam diu esse sine peccatis mortalibus potest* (ep. ad Seleuc). Quamvis venialia actum mortaliter peccaminosum effective non causent, tamen ad peccatum mortale dispositivo perducunt, viam sternunt occasionemque præbent illud committendi, et præcipue cum illorum habitum emendare quis negligit. Nam, ut dicit Augustinus, *nullum peccatum est adeo parvum, quod non crescat neglectum*. Ideo docet Spiritus Sanctus: qui *spernit modica, paulatim decidet*. Pro nihilo habes mendacia jocosæ, et officiosæ, quæ crebro profers, tandem aliquando damnosa, et perniciosa proferes. Cum inter amicos versaris sæpius pauperum proximi famam lædis: si te emendare negligas, brevi ad calumnias et detractiones declinabis. Proximum crebro fraudas, jam uno obolo, et jam una asse; si a minimis his fraudibus non abstineas, paulatim in magnis eum fraudabis, quique modo parvus es latro, magnus latro efficiaris: nec enim fallitur Spiritus Sancti oraculum: *qui spernit modica, paulatim decidet*. Scitis, quid Judæ acciderit. Ingratus hic apostolus horrendo sacrilegio Magistrum et Dominum suum prodidit, et vendidit: si autem sancto credamus Crystostomo, hoc non primum fuit Judæ peccatum: hic apostata a minimis incoeperat; quæ tandem eum ad tam immane scelus traxerunt: *a parvis principii ortum est ingens Judæ scelus*. Idem dicendum de omnibus aliis famosis peccatoribus: vides hunc qui quotidie se vino ingurgitat; istum, qui horrendas blasphemias passim profert; illum qui fœdis libidinibus corpus et animam inquinat: scito ergo quod isti a magnis criminibus non in-

ceperint: primo levia perpetrarunt, quibus non emendatis, in gravia tandem lapsi sunt; quod et de omnibus peccatoribus dicendum est: ut enim ait S. Bernardus, *a minimis incipiunt, qui in magna prorauunt*. Nec dicas, parva semper esse parva; hæc peccata quæ parva dicimus nunquam parva, imo semper magna et gravia sunt, cum ad magna pertrahant: *parva enim parva non sunt, ex quibus magna proveniunt*. Cavete ergo, o parentes, ne filii vestri a minimis incipiant; cavete et vos, caveant et omnes homines ne venialibus assuescant; cum eorum malitia magna sit respectu Dei qui ab iis offenditur; respectu animæ, quæ ab iis læditur, et respectu peccati mortalis, in quod facile labitur qui ea spernit. Peccatum autem veniale, cujus malitia est magna, *est etiam pœna gravis*.

II PARS.

Peccati venialis pœna gravis est.

Miramur, et nonnumquam crudelitatis arguimus multos, eo quod oblevia aliqua delicta in reos gravissime animadvertierint. Nonne indignaris quandoque in Manlium Torquatium, qui proprium filium de ostibus victorem securi percuti imperavit, quod contra edictum suum decertasset? nonne crudelem judicas Venceslaum regem, qui coequum suum veru affixum ad ignem torreri iussit, eo quod caput minus bene assum mensæ apposisset? Nonne scævitiæ accusas Bajaizethem, Turcarum imperatorem, qui trium Epheborum ventres aperiri iussit exploraturus, quis eorum unum decerpisset et manducasset pomum, quod exiguum arbusculum, manu ejus plantatum, produxerat? Aliquid quidem et multum crudelitatis in his aliisque hujusmodi apparere supplicis: Deus tamen, qui æquissimus juxta ac clementissimus est, quique punire solet citra condignum, peccata venialia, quæ levissima dicimus, gravioribus aliquando etiam in hoc mundo pœnis plectit. Nonne Sanctus Hieronymus

dirissime ab angelo flagellis exceptus est, eo quod Ciceronis opera studiose nimis pervolutarit? nonne, ut refert Cassianus, incomparabilis vir Abbas Moyses ob unum sermonem, quem contra abbatem Macharium disputans paulo durius protulit, dirissimo confestim traditus est dæmoni? nonne populi judæici duces Moyses et Aaron ob levem inobedientiæ culpam terra promissionis, lacte et melle manante, exclusi sunt? Ozam scimus subita morte mulctatum, quod fœderis arcam jam labentem minus reverenter tetigisset. Propheta ab Jeroboam missus, a leone occisus est, quod tantillum panis contra Dei inhibitionem manducasset. Uxor Lot in statuum salis conversa est, quod muliebri curiositate versus Sodomam semel caput vertisset. Ananias et Saphira ad pedes principis Apostolorum mortui corruerunt in pœnam mendacii quod veniale solummodo fuisse censent plures auctores. Alia hujusmodi multa exempla adduci possent, quibus clarissime constaret Deum gravissimis pœnis minutissima venialia, etiam in hoc mundo, nonnumquam punire. Ast longe graviora sunt supplicia, quæ ob levissimas quasvis culpas in purgatorio infligit. Ibi se Deus multo severiorem exhibet; ibi nec minimæ culpæ indulget; ibi nec levissimum quodvis peccatum impunitum sinit; ibi ob verbum otiosum, ob levem inobedientiam filii in parentes, ob parvam incuriam, propter oblivionem leviter culpabilem; propter leve murmur in superiores, aliamve minimam noxam justos et amicos suos gravissimis suppliciis adjudicat. Si enim, ut ait D. Augustinus, in hoc mundo venialia per poenitentiam non deleverimus vel bonis operibus non redimerimus, *ipsi tandiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta minuta peccata consumantur*. Omnium pœnarum gravissima est ignis; equulei, gladii, ungulæ, et alia quævis supplicia, quæ a tyrannis ad torquendos martires fuere adinventata, ignis pœnam non æquant, et ideo hanc pœnam *summam* vocat Tertulianus: *summam ignum pœnam*; quod potissimum dici debet de igne purgatorii, qui ejusdem naturæ est cum tartareo, et cujus comparatione ignis noster subllunaris est quasi ignis pictus. Purgatorio autem hoc igne cruciabantur

qui in statu peccati venialis ab hoc mundo excesserint; *per fluvium igneum, et cada ferventibus globis horrenda transibunt* (S. Aug. hom. 16). Hoc igne transierunt nonnulli viri sanctissimi; hoc igne transeunt omnes justi, qui in statu venialis peccati ab hoc mundo migrant, et non solum per hunc ignem transeunt, verum et in illo morantur quantum exegerit culpa, *et quamdiu supradicta minuta peccata consumantur*. Aliqui in eo cruciantur per unius hore, alii per unius diei, vel etiam per unius mensis spatium. Imo, si sancto Vincentio credamus, quidam ad purgatorii ignem damnatus fuit anno integro ob unicam venialem noxam. O qualem poenam! o quam horrendum supplicium, quo Deus venialia in purgatorio punit! o quam stolidi, et hardi, qui hunc ignem non timent, et qui ut eum vident, totis nisibus non contendunt!

Timeo, ac totus contremisco, cum in mentem venit, quod ob leves jocos, ob curiosum studium, ob evagationem mentis in oratione, et ob minimum quodque veniale, cuius veniam in hoc mundo non obtinuero, diram purgatorii ignis poenam ad tempus sim passurus (1). Magis autem verendum ne peccata venialia, non solum ad tempus in purgatorio, verum et quandoque, ut sentiunt doctores Seraphicus et Angelicus, in inferno puniantur. Profecto nemo unquam ob sola ve-

(1) Ne hisce doctrinis, si plus æquo urgentur, nimio timori viam pandamus, qui cor coarctat et fiduciam in Deum Patrem abigit, sedulo advertendum duplex genus esse peccatorum venialium; aliud eorum in quæ ex simplicii fragilitate labimur, ex inadvertentia, ex defectu fervoris et vigilantie in operando, veluti ea quæ hic recenset auctor; hæc autem venialia, ut optime notat Salesius, sicut facillime perpetramus, ita sine labore delentur, ac unus actus amoris Dei, vel quilibet motus reverentia in Deum sufficit ad plura hujusmodi venialia delenda. Aliud genus venialium noxarum est earum, in quas omnino advertenter vel ex prava consuetudine ruiamus, atque ex contemptu quorundam peccatorum quia levium, juxta illud; *spernit modica*, v. gr. leves detractationes, murmurationes, excessus in cibo et potu, otium, etc., nec nimium de illis emendandis curamus, eo quod cor iis adheret. Hæc autem sunt quæ maxime Deo displicent in justis, quæ difficilius curantur, gravius puniuntur, atque animam iis assuetam in eo statu satis formidando constituunt, de quo dicit Spiritus S. in Apocalypsi: *quia tepidus es, et nec calidus, nec frigidus, incipiam te vomere ex ore meo*.

N. E.

nialia ad infernum damnatus fuit: quia venialia per se non merentur poenam æternam. Quia tamen plerumque accidit, eos qui ad perpetuas inferni penas propter mortalia damnantur, esse etiam venialium peccatorum reos, propter illa venialia, quorum veniam non obtinuerunt in hoc mundo, per accidens, seu quia juncta sunt cum mortalibus, æterna supplicia patientur; *si culpa peccati venialis non fuerit dimissa ante mortem*. inquit D. Bonaventura, *ejus poena perpetua erit*. Idem sentit, eodemque modo loquitur D. Thomas; utriusque doctoris ratio fundatur in eo, quod in *inferno nulla sit redemptio*. Ex quo inferunt, quod cum peccati venialis culpa nunquam remittatur, ac proinde æterna sit in inferno, ejus etiam poena in inferno æterna esse debet. Non quod tanta sit venialis peccati malitia, ut per se mereatur poenam æternam, sed ideo punitur poena æterna, quia non potest remitti in inferno quoad culpam; *æternitas poenæ non respondet quantitati culpæ, sed irremissibilitati*. Dammati in inferno non conteruntur de venialibus, nullum etiam charitatis actum eliciunt, quo ea delere possint; pro iis et Deo satisfacere nequeunt, quia Deus penas eorum in satisfactionem non acceptat; Christus etiam iis sua non applicat merita, nec aliquam eis gratiam disperit, quia, ut ait sanctus Bernardus, *non descendit ad inferos sanguis Christi*. Quare cum dammati nec conteri, nec actum charitatis elicere, nec Deo satisfacere, nec ab eo aliquam gratiam impetrare possint, in æternum irremissibilia eorum erunt peccata quoad culpam, ac proinde poena eorum erit æterna, quia tandem remanet poena, quamdiu remanet culpa: *Si culpa peccati venialis non fuerit dimissa ante mortem, ejus poena perpetua erit*. O formidandam venialis peccati poenam! quis non timeat, vel in minimo Deum offendere? quis non vereatur in venialia cadere, cum Deus ea gravibus in hoc mundo, gravioribus in purgatorio, et gravissimis in inferno suppliciis puniat? *pusilla fugiamus mala*, inquit S. Chrysostomus, *nam mala magna ab iis nascuntur*. Peccata venialia dicuntur mala pusilla, quæ licet pusilla fugienda sunt, quia magna mala poenæ parturiunt, si ea non

fugiamus, et delere non satagamus. Sanctissimus Job omnia opera sua scrutabatur, discutiebat, et verebatur, timens ne in his aliquid esset peccaminosum, quia sciebat Deum minimos defectus qui in operibus nostris inveniuntur, severe punire: *te-rebar omnia opera mea sciens, quia non parceres delinquenti* (Job. 9, 28). Discutiamus similiter omnia opera nostra, inscrutemur ane aliquid peccaminosum lateat; si in his aliquod veniale apprehendamus, illud sedulo delere et e cordibus nostris tollere conemur, quia si in morte inveniamur venialium rei, non parcat Deus, sed ea severe puniet. *Iniquitas hominis parva, magnaue sit, puniatur necesse est aut ab ipso penitente, aut a Deo vindicante* (S: Aug. in Ps. 50); puniantur ergo ab homine penitente peccata quævis levissima, ne puniantur a Deo vindicante, qui ea gravissimis poenis punit. *Nullum bonum apud Deum est irremuneratum, nec aliquid malum impunitum* (D. Bern. in decl.). Itaque bonis operibus continue incumbamus ut a Deo remuneremur, et minima quævis peccata vitare conemur, ut non incurramus in poenas gravissimas, quibus Deus ea plectit. Ad hæc cum peccati venialis sit poena gravis, *ejus etiam remedia sunt difficilia.*

III PARS.

Peccati venialis remedia sunt difficilia.

Non solum multis rationibus constat, peccati venialis malitiam et poenam esse graves, verum etiam plusquam certissimum est, quod quamdiu quis peccato quodam veniali est inquinatus, in caelestem Jerusalem intrare nequit, *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*. Sunt ergo quærenda et adhibenda remedia, vel media efficacia ad destruendum in nobis vel levissimum quodque peccatum. Multa quidem adhiberi solent, at omnia difficilia videntur. Quod ut, quam verum sit, innotescat, ea in medium adducamus, et serio discutiamus.

Primum, et efficacius remedium, quo ad destruenda venialia

utimur, est confessio sacramentalis. Hæc quidem absolute ad delenda venialia non requiritur, quia venialia non sunt materia necessaria confessionis, nec ad ea confitenda necessario tenemur: tamen advertendum, difficillime in multis casibus dignosci, et adjudicari posse, quæ sint venialia, et quæ sint mortalia; ipse D. Augustinus, licet subtilissimus et perspicacissimus, hoc indagare nequit: *ad eorum indaginem pervenire non potui*. Unde asserit, quod hæc scire et cognoscere non hominis, sed Dei sit: *quæ sunt autem levia, quæ gravia peccata, non humano sed divino pensanda sunt iudicio* (Enchir. 78). Hoc etiam fatentur theologi, qui difficillimum censent iudicare, *inter lepram, et lepram*; inter lepram scilicet peccati venialis, et lepram peccati mortalis. Tot enim circumstantiæ sunt, quæ peccatum ex natura sua veniale faciunt mortale, ut maxime periculosum sit, ne mortale sit quod veniale solum esse censemus, ideo ad hæc omnia incommoda vitanda remedium securius et efficacius ad delenda venialia est ea confiteri. Quod quidem remedium haud semper prodest, aliquando etiam obesse potest. Venialium confessio quamdam præsertim difficultatem, non quasi multo nisu ac studio opus sit ad ea cognoscenda et declaranda confessario, verum *primo*, ex eo quod propter eorum frequentiam, sæpe mente excidunt, aut vix advertuntur (1); *deinde* etiam cognoscantur et omnia memoriæ occurrant, raro illi qui venialibus assueverunt, serio ea detestantur, sincerum de his dolorem eliciunt, vel propositum efficace emittunt ea emendandi aut saltem minuendi eorum numerum. Jamvero dolor ac propositum necessario requiruntur ad sacramenti valorem, ideo si desint, nullum fit sacramentum, nihilque prodest sacramentalis absolutio; ex quo argumentari licet, quod qui advertenter sic sacramentum suscipiunt, licet sola levia peccata confiteantur, non venialium veniam obti-

(1) Fac memineris distinctionem venialium supra memoratam in nota p. 272, simulque adverte venialium primi generis nec utilem nec opportunam plerumque fore inquisitionem, ut singillatim illa quis confiteatur, quæ inquisitio sæpius anxietates et scrupula generat, ac minimum confort ad emendationem. N. E.

neant, sed gravi crimine seu sacrilegio se contaminandi periculum subeunt. Ipse autem dolor de venialibus ægre concipitur, quia, ut ait S. Jo. Chrysostomus (hom. 12 in ep. ad Rom.), *Majora peccata ut aversemur ipsa per se efficiunt*: etiam propositum emendationis excludit certitudo mox in eadem relabendi, hora ac quandoque vix quadrante elapso a confessione. Cum ergo ad levia peccata detestanda difficulter moveamur, de iis vitandis vix ac ne vix quidem curemus, jure formidandum ne tam salubre remedium confessionis sacramentalis parum aut raro prosit ad delenda venialia (1).

Alterum remedium ad delenda venialia est dolor, qui etiam extra sacrum penitentiae tribunal ex seipso vim habet delendi venialia; modo tamen hic dolor sit actus attritionis, vel actus contritionis. Si enim ad venialia in sacramento penitentiae delenda, requiratur aliquis dolor, *vel formalis*, quo homo de iis formaliter dolet; *vel virtualis*, qui includitur in actu perfecto amoris Dei, quo homo protestatur se ita Deum amare, ut velit ei placere etiam in minimis quibusque actionibus: quanto magis requiritur talis dolor ad venialia extra penitentiae sacramentum delenda? Certe hujusmodi dolor extra sacramentum absolute requiritur. Ecce ergo aliud remedium, quod sua quoque difficultate non carere quisque sibi suadet, si animadvertat dolorem sive formalem, sive virtualem, sive contritionis, sive attritionis esse debere supernaturallem, procedere nempe ex aliquo motivo fidei ex quo quis peccatum detestatur, de eoque dolet vel tamquam de Dei offensa, vel tamquam de re et actu, qui meretur Dei indignationem et animam fedando congregat super ipsam divina flagella. Cum autem difficiliter hæc mala apprehendantur in peccato levi, hinc fit ut de eodem supernaturaliter deleant vix

(1) Ad hoc periculum vitandum docent theologi morales, valde expedire ut sive ipse penitens, qui levia tantum habet et confitetur, sive confessorii qui pius hujusmodi penitentes audiunt, inquirent de aliquo graviore anteacte vite peccato, quod penitens magis detestetur et acuset in singulis confessionibus; vel iterum clavibus subjiciat omnia generatim peccata vite suae, de quorum aliquibus certe doleat, ac firmum habeat propositum ea vitandi. N. E.

tantum perfecti ac religiosi viri, qui spiritualium rerum usum habent. Non ergo omnium est hoc remedium contra peccatum veniale.

Aliud remedium habemus ad delenda venialia in sacramentalibus; quæ sunt quasi parva quedam sacramenta ab Ecclesia instituta, ut per eorum usum peccatorum venialium obtineatur remissio. Hæc autem sacramentalia isto versu exprimi solent:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Verbo *orans*, intelligitur oratio Dominica, vel ea, quæ fit in ecclesia consecrata; vel etiam tunsio pectoris. Per *tinctus*, indicatur aqua benedicta, ac etiam unctio ceremonialis in regem. Per *edens*, designatur esus, seu manducatio panis benedicti. Per *confessus*, significatur confessio generalis, quæ publice fieri solet in misse principio. Per *dans* denotatur elemosyna et quodecumque aliud opus misericordiae, sive spiritualis, sive temporalis. Per *benedicens*, intelligitur benedictio episcopi, vel abbatis consecrati. Ecce remedium, quo nihil facilius prima fronte videtur. Et revera nihil facilius quam dicere orationem dominicam, recitare confessionem generalem, benedictionem episcopi et alia sacramentalia recipere; non autem omnes mediantibus illis remissionem venialium facilius obtinent. Licet enim sint instituta ab Ecclesia ad delendum quodecumque veniale: hic tamen eorum effectus non est infallibilis; non est enim fundatus in speciali promissione Christi, sed in impetratione Ecclesiæ, quæ ob sui sanctitatem meretur exaudiri a Deo, quamquam non semper exauditur, maxime cum pro aliis orat, quia illi pro quibus orat, ob defectum dispositionis sunt sæpe in causa, cur non audiatur; ideo venialia per sacramentalia deleri, non est ita facile, ut multi consent. Quod adhuc magis elucet ex modo, quo sacramentalia delent venialia; ut enim docent communiter doctores, non ea delent *ex opere operato*: cum Ecclesia, a qua sunt instituta sacramentalia, instituere nequeat signa sensibilia, quæ remittant peccata, vel gratiam conferant *ex opere operato*: delent ergo ea *ex opere operantis*,

quatenus, si debite sumantur, id efficiunt ut mediantibus Ecclesie precibus, impetrent a Deo gratias actuales, quæ nos moveant ad elicendum actum doloris, cujus virtute tollantur venialia. Quum vero hæc sacramentalia sæpe sumantur irreverenter, tales gratiæ non dantur, sæpe rejiciuntur, et sic per sacramentalia raro remittuntur venialia; per hoc ergo, sicut et per alia remedia non facile tolluntur venialia. Itaque cum non solum peccati venialis offensæ sit magna, et poena gravis, sed ejus etiam remedia sint difficilia, a venialibus quisque, quantum poterit, cavere debet. Ne dicas; mihi sufficit vitare ebrietates, fornicationes, adulteria, et alia quævis peccata gravia; de minimis autem non curat prætor. Ne sic loquaris, quia est quod timeas, ne postquam de gravibus triumphaveris, a minimis, que sicut arena maris multiplicantur, penitus obruaris; *præcavisti magna, jam non facis adulterium, non fornicaris, non furaris; projecisti molem, vide, ne arena obruaris* (Aug. in Ps. 39). Ea vitare et cavere debes, si Deum diligas, et timeas: *diligis Deum*, inquis, cavo ergo a venialibus, quia qui aliquem perfecte diligit, non solum cavet ne in magnis, sed etiam ne in parvis et minimis ei displiceat: *times Deum*, ais; cave ergo non solum a mortalibus, sed etiam a venialibus, quia *qui timet Deum nihil negligit* (Eccles. 7, 19). Cave ergo ne vel minimum mendacium proferas, ne otiose tempus teras, ne proximi famam aliquantulus lædas, uno verbo ne quantum poteris, in venialia incidas. Si sic Deum ames et timeas, ut a venialibus abstineas, et ipse immediate post mortem dabit tibi coronam gloriæ. Amen.

FERIA V POST DOMINICAM TERTIAM

DE AVARITIA.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus (Luc. 4).

Avaritiæ vitium est ita inter homines commune, ut nullus fere inveniat, qui avaritiæ non studeat, et qui maligno exe-

crandi hujus vitii spiritu non cieatur: *a minore usque ad majorem omnes avaritia student* (Jer., 6, 33). Scimus beatos esse illos pauperes spiritu, qui terrena despiciunt, qui post aurum non abeunt, nec sperant in pecunia et thesauris; verum qui sunt hi: *quis est hic et laudabimus eum?* (Eccli. 31). Hi certe rari sunt; quia omnes fere homines, si ex avaritiæ spiritu aliena non rapiant, sua saltem studiose nimis inquirunt, *omnes quæ sua sunt quaerunt* (Philip. 2, 21). Unde præclare dixit D. Ambrosius, avaritiam febrem esse, qua omnes fere mortales laborant: *febris nostra avaritia est*. O malignam febrem! quæ omnium malorum et infirmitatum spiritualium radix est et origo *radix omnium malorum est cupiditas* (1. Tim. 6, 10). O mortiferam febrem, quæ innumeris mortem et damnationem æternam infert! o periculosam febrem! quæ est etiam pestis insanabilis: *avaritia esse pestis insanabilis qua totus mundus exarsit* (Zeno serm. 1 de avar.). Ut sanaretur socrus Simonis, quæ magnis tenebatur febribus, vocatus est Christus ab apostolis, qui rogaverunt illum pro ea; ejusdem Christi auxilio egent fabricitantes avari, ut ab avaritia sua sanentur, eodem et nos indigemus auxilio ut utiliter de avaritia disseramus. Ave.

Orbis terrarum Domini esse videntur divites avari: omnia quæcumque volunt faciunt, rebusque cunctis affluunt. Unum tamen iis deesse adnotavit moralis philosophus, hominem scilicet qui verum dicat: *monstrabo tibi quid omnibus possidentibus desit; scilicet hominem qui verum dicat*. Domus illorum parasitis circumfluunt, et adulatoribus qui injustitias, libidines, omniaque vitia illorum approbant, laudant, et veluti tot virtutes decantant deest illis homo, qui non eis aduletur, qui injustitias, et omnia illorum vitia arguat, quique eos tales, quales sunt sincere effingat. Hanc hodie provinciam libens ingrediar, hoc munus ex corde obibo, hoc avaris beneficium impendam, nec in publico hoc conventu deerit qui eis verum dicat. Eorum enim ingratitude, inhumanitatem, et crudelitatem propalabo; ac in tota hac concione probabo, quod homo avarus, sit ingratus, inhumanus, et exitiosus: I. in-

gratus in Deum; 2. *inhumanus* in proximum; 3. *exitiosus* in seipsum.

I PARS.

Avarus est ingratus in Deum.

Pro avaris, sicut et pro aliis, creavit Deus cælum et terram, nec non cuncta quæ eorum ambitu continentur. Jamvero nec his, nec ullis aliis a Deo acceptis beneficiis deliniuntur, et ad debitas ei grates reddendas adducuntur homines avari, quorum ingratitude in Deum maxima est, quia: 1. de eo non cogitant; 2. eum non amant; 3. eum non adorant.

1. Avarus erat princeps ille publicanorum, Zachæus, qui aliena ex spiritu avaritiæ rapuerat: ut autem advertit sacer textus ita parvus erat, ut nec Christum præ turba videre posset: *querabat videre Jesum, quis esset: et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat* (Luc. 13, 6). Ecce veram hominis avari ideam: Zachæus enim statura pusillus erat, et omnes avari pusilli et parvi sunt in omni genere virtutum. *Parvi* sunt in fide, cum vix in Deum credant; *parvi* sunt in spe, cum in divitiis quas possident solummodo confidant: *parvi* sunt in charitate, cum viscera eorum sint erga pauperes ferrea; *pusilli* spiritu sunt, sicut corpore pusillus erat Zachæus. Hic præ turba non poterat videre Jesum, et avari tanta cogitationum turba, tanta inanium desideriorum multitudine, tantaque terrenorum sollicitudine occupantur, ut vix Deum videant, et de Deo cogitent. Si sanctissimo altaris sacrificio quandoque adsint, mens eorum alibi est: si aliquando prædicationibus, et divinis officiis intersint, non de Deo, sed de divitiis et de negotiis temporalibus cogitant. Cum tandem divitiis saturantur, et impinguantur, Dei totaliter obliviscuntur; *adimpleti sunt, et saturati sunt, et oblii sunt mei* (Osée, 13, 6). Ingeniose adnotavit Seneca, quod aratores, qui juxta Nili littus habitant, in cælum oculos non sublevant, ut pluvias postulent, quia arva eorum fluvii illius inundationibus sufficienter irrigantur, nec

coelesti rore egent; *nemo aratorum respicit cælum*. Aratoribus illis similes sunt avari, qui cum in thesauris suis confidunt, in cælum oculos et mentem non extollunt, ut Deum benefactorem suum videant, utque de gratiis illi exhibendis cogitent. Mente et affectu toti sunt negotiis temporalibus, seque totos adimplendis marsupiiis, et facultatibus aggerendis dedunt, nec vel minimum de Deo, a quo omnia habent, religiose cogitant; *avarus non videt, quæ divinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt* (D. Amb.). Eos Deus ratione et mente præditos creavit, ut ad ejus considerationem penitus intenti essent, ipsi vero ingrati vix cogitant de Deo factore suo, a quo omnia habent. O magnam ingratiudinem! *Insuper avari sunt ita ingrati in Deum, ut illum non ament.*

2. Terrena amant avari, non coelestia; toto corde divitias diligunt, non Deum; cor eorum non Deo adhaeret, sed in thesauro jacet. Ut enim, ait Christus, ubi est avari thesaurus, ibi est cor ejus; *ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum* (Matt. 6, 21). In quæ verba S. Hieronymus ait: *cor habet gulosus in ventre, lascivus in lubricis, amator in libidine, avarus in pecunia*. Narrat S. Prosper de avaro quodam divite, quod cum ei fato functo pectus aperuerint chirurgi, nullum in eo cor, nec cordis vestigium inventum sit. Attoniti fuere quotquot tanto spectaculo aderant, nec concipere valebant quomodo hic homo sine corde vivere potuisset: jamvero tam inopinati eventus causam manifestavit Deus; cum enim heredes arcam in qua defuncti thesaurus erat, aperuissent, in eo invenerunt cor ejus, quod a demone horrendi draconis figuram gerente detinebatur. Ecce quid amet avarus; ecce ubi est cor ejus; non in Deo, sed in thesauro; *ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*. Deus iniquos et induratos alloquens avaros, ait: *audite me duro corde, qui longe estis a justitia* (Isai. 46, 12), seu, prout vertunt septuaginta, *audite me, qui perdidistis cor*. Cur dicitur avaros perdidisse cor? quia cor suum, quod Deo dare et consecrare debebant, divitiis et temporalibus bonis dederunt; vico enim Dei labiles et mox perituras opes diligunt. Præcipit Deus, ut eum tota mente, toto corde, et

totis viribus diligamus: e contra avari divitias *tota mente* amant, cum omnis eorum ars, omnisque cogitatio iis acquirendis, et conservandis incumbat; *toto corde* complectuntur cum omnes eorum affectus, omniaque studia ad bona temporalia tendant; *totis viribus* diligunt, cum omnes eorum conatus, omnesque labores in congregandis sæculi bonis versentur. Oh fœdum ingrati animi crimen, quo erga Deum rei officiantur avari, dum posthabito Deo omnium bonorum largitore, omnique bonitatis fonte, argento tantum et auro, nulliusque momenti temporalibus bonis adherent! Hoc autem ingrati animi vitium adaugent avari, cum non modo Deum haud diligunt, *ne illum quidem venerantur et adorant*. Idololatras appellant avari eo quod aurum et argentum, ut idolum suum venerentur; hic est Deus eorum, cui soli adolent incensa; *ut voracium Deus venter est, ita quoque cupidorum Deus pecunia dici potest* (D. Hieron. in c. 5 ep. ad Ephes.). Quid mirum, vel novum si avari *idololatras* dicantur, quo nomine eos vocavit Doctor Gentium; *avaritiam, que est simulachrorum servitus* (Col. 3, 5)? cum revera avari sint *idololatras*, qui idem adorant, quod adorabant antiquitus Gentiles, nimirum aurum et argentum; *simulachra gentium, argentum et aurum* (Ps. 113): similiter avari aurum et argentum adorant; *idolorum cultor*, inquit Cajetanus, *aurum et argentum colit, avarus quoque aurum et argentum colit*. Quod et confirmat S. Chrysostomus dicens, quod sicut Gentilis aurum et argentum tamquam Deos suos in templo adorat, ita et homo avarus aurum et argentum in arca, veluti in templo suo adorat; *ita aurum adorat ut ille idolum* (Chrys. ho. 64 in Jo.). Addit aureus ille orator, avaros ipsis Gentilibus magis idololatrias esse quia Gentiles idolis suis bruta, vel terræ fructus in sacrificium offerebant, avari vero animam suam auro et argento sacrificant: *Gentiles idolis quidem boves sacrificant, avarus offert auro animam*. Duplici modo committitur idololatria; uno, quando cultus soli Deo debitus, tribuitur creaturæ; altero, quando creatura Creatori præponitur. Utroque autem modo, inquit S. Anselmus, avarus est idololatra; et quia cultum soli Deo

debitum auro tribuit; et quia divitias Deo præponit. Quid prodest, inquit S. Zeno Veronensis, quod aurum et argentum execraris in idolis, quæ Gentiles venerantur, si aurum et argentum in arca tua adores? Nonne cum adoras aurum et argentum in arca, æque idololatra es ac Gentiles, qui aurum et argentum in templis adorabant? idololatras erant illi, et idololatra es tu; eadem illis et tibi sunt idola, hæc solummodo differentia, quod majora essent aurea et argentea illa idola, quæ ipsi in templis colebant: *in domo tua minuta sunt, in templis majora*. Falleris, o avare, subdit S. Zeno, si te idololatram et pecuniam tuam idolum non esse credas. Verum est, quod si pecuniam tuam debite expendas, non est idolum, sed pecunia: si autem eam nimia sollicitudine custodias, vel si ea ad lucra iniqua utaris, tunc est idolum: et tu idololatra es, qui eam adoras; *si erogaveris, pecunia est; si servaveris, simulachra*. O quot in orbe idololatras! tot quidem, quot avari. Sicut enim Judæi ex multis monilibus aureis fecerunt vitulum aureum conflabilem, quem ut idolum suum adoraverunt, ita avari, inquit S. Joannes Chrysostomus, ex auro et argento sibi idola effingunt; cui omnes cogitationes, omnesque affectus suos sacrificant: *ut Israelitæ ex auro, quod ex Ægypto attulerant, idolum fabricarunt, sic avari ex auro et argento, quod sibi comparant, veluti idola faciunt*. Avari, sicut et alii, a Deo facti et redempti sunt; ab eo esse et omnia habent; et tamen non Deum, sed pecuniam suam agnoscunt, amant, et adorant. O portentum ingrati animi! Qui vero in Deum ingratitude delinquant, *erga proximum crudelitate peccant*.

IF PARS.

Avarus est inhumanus in proximum.

Si unus de fratribus tuis, inquit Spiritus Sanctus, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahas manum, sed aperies eam pauperi (Deut. 15, 7). Hoc suadet Spi-

ritus Sanctus, hoc prædicant concionatores, hoc dictat cuiusque conscientia; sed avari sunt immisericordes, obdurati, et inhumani erga pauperes, quia 1. iis subvenire nolunt; 2. eos audire renuunt; 3. eos videre recusant.

1. Viri justî, non solum hominibus, verum si ita loqui fas sit, ipsis brutis compatiuntur: avari e contrario ita crudeles et inhumani sunt, ut fratribus suis, quantumvis gravem necessitatem patientibus, subvenire nolint: *novit justus jumentorum suorum animas: viscera impiorum crudelia* (Prov. 12, 10). Si cadunt urbis xenodochia, de hoc non curant avari: si pauper aliquis frigore, vel fame pereat, hoc illos nullo modo tangit; si hic, vel ille infirmetur ad mortem, hac de re nil ad eos attinet, ac tanta illorum est inhumanitas, ut vel minimum quodque levamen aut subsidium denegent, quia illorum viscera crudelia sunt: *viscera impiorum crudelia*. Cum de exigendis usuris agitur, nulli quantumvis pauperi, indulgent; cum debita sibi solvi volunt, nihil debitoribus quantumvis miseris gratificantur: quin contra ad multas impensas illos inique cogunt: pro modica pecunie summa, quam mutuo dederunt, magnam sibi solvi petunt; et pro magna hac summa, nunc pratam, nunc domum, ac denique omnia debitorum suorum bona auferunt. Ecce quod perpetrare norunt avari; pauperibus subvenire nesciunt, nec ad illis extremam licet necessitatem patientibus succurrendum moventur: *viscera eorum crudelia*. Portentosum hujus rei exemplum habemus in divite epulone; de quo ait Chrysologus, quod *ferrea viscera crudelis animam nutriebant*. Avarus ille induebatur purpura et bysso, epulabatur quotidie splendide, divitiisque affluabat; Deus autem ut illum ad misericordiam flecteret, objecit ei pauperem illum Lazarum, cui obviam eunt canes, ejusque ulcera lingunt: inhumanus hic avarus, ipsis brutis durior et crudelior, manus suam extendere noluit ad pauperem, nec ei quomodocumque subvenire. Non thesauros divitis, micas solummodo e mensa cadentes petit Lazarus, nec illa obtinere potest. Ulcera exhibet pauper, ut avarum ad tantillam sibi gratiam concedendam moveat; frustra

tamen, quia vir in pauperes inhumanus erat, qui sub bysinis vestibus *ferrea viscera nutriebat*. Ecce quomodo se gerere soleat avarus ergo pauperes; ad januam ejus clamant et vociferentur, quantum voluerint; sua exhibeant ulcera quantum placuerit; se ad extremam redactos esse necessitatem, et fame perire dicant; iis omnibus ad misericordiam non flectitur avarus, quia ejus viscera ferrea sunt, *viscera eorum crudelia*. Credis, inquit S. Basilius, quod avarus miserebitur pauperum? autumaris quod iis subveniet, eorumque miseria sublevare conabitur? falleris; avarus enim nescit dandi artem, pauperibus nunquam dicit, hoc vel illud tibi do; non dicit huic viduæ: do tibi viginti nummos, quos a tot annis mihi debes, et quos solvere tibi est impossibile; non dicit huic pauperi extrema agenti: do tibi, quo carnes et alia necessario emas. Quid ergo pauperi dicit avarus? *unam tantum novit vocem: non habeo, non dabo*. Cum avaro suam pauper manifestat egestatem, ac ab eo sibi subveniri petit, respondet ille: *non habeo*. Si urgeat pauper, ut illum ad aliquid sibi dandum cogat, respondet: *non dabo*; si pauper ulcera exhibeat, quibus sauciatur, si doloribus se dirissime cruciari, et fame se perire dicat, his et aliis similibus ad dandum non movetur avarus; *et unam tantum novit vocem: non habeo, non dabo* (S. Bas., ho. in destr. horrea). O nimiam avari inhumanitatem! Dum autem magna se prodit avari inhumanitas, quia pauperibus subvenire non vult, major adhuc ejus revelatur inhumanitas, *quia pauperes etiam audire renuit*.

2. Non placet avaro pauperum musica; eos clamantes et miseria suas declarantes agre audit; surdus est ad clamorem miserorum, qui ab eo aliquod subsidium postulant. Et ideo sanctissimus Job ait, quod egeni, qui a divitibus sibi subveniri petunt, surdos alloquuntur, *et amplexantur lapides*, qui clamores eorum non audiunt. Mirabiliter describit sanctissimus ille vir, quomodo divites avari in pauperes, pupillos et viduas se gerere soleant. Greges pauperum, inquit, inique rapiunt; a pupillis vel unicum, vilissimumque jumentum, illudque ipsis maxime necessarium auferunt; a viduis macilentum bovem,

vertendo agello necessarium, loco pignoris exigunt, et abripiunt; agrum non suum demetunt, et vineam ejus, quem vi oppreserunt, vindemiant; nudos dimittunt homines, indumenta tolentes, quibus non est operimentum in frigore. Si autem hi miseri ad divites illos accedant, ut de injuria sibi illata conquerantur; vel ut eos ad sibi subveniendum alliciant; surdos alloquuntur, qui eorum verbis non attendunt; et qui veluti duri lapides, nullis vocibus et clamoribus moventur: *amplexantur lapides*. Quondam Athenis visus est Diogenes civitatem totam perambulans, ac a lapideis statuis, quas in vicis et compitis inveniebat, eleemosynam humiliter postulans. Cumque nonnulli dixissent ei, cur lapides alloqueris, qui te non audiunt, nec audire possunt? respondit: solitus sum eleemosynam petere a lapidibus. Divites enim avari plerumque sunt, et ideo quasi lapideæ statuæ, quæ oculos habent, et pauperum miserias non vident; aures habent, et pauperum clamores audire renuunt: *aures habent, et non audiunt*. Et revera dic diviti avaro: domine, in tali domo est quidam pauper, qui fame perit; da aliquid, quo miseriam ejus occurras: *aures habet et non audit*. Dic ei: domine, huic artifice aliquid debes; si enim solveres, non solum justitiæ, sed etiam charitatis munus obires, quia magna nunc egestate gravatur: *aures habet, et non audit*. Dic ei: hujus hominis, qui olim famulus tuus diu fuit, mercedem a multis annis detines; solve ei quod debes, ut sibi et familiæ suæ consulat: *aures habet, et non audit*. Dic ei, in xenodochio gravissima patiuntur pauperes: non enim stragula habent quibus tegantur, nec cibos quibus vescantur: da eis, et dabitur tibi; hic est surdus auditor, *qui aures habet, et non audit*. O magnam avarorum in pauperes inhumanitatem! quæ tanta est, ut pauperes et pauperum necessitates nec nosse nec audire videantur. Superest ut agnoscamus quomodo avari et *pauperes, et pauperum necessitates videre, et scire recusent*.

3. Beati sunt illi, qui sollicitè inquirunt pauperum necessitates, ut iis obviant: *beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (Ps. 39). Non superficie tenus, et per transennam spectandi sunt pauperes; verum scrutandum, quo egeant et, ut ait D. Augustinus,

intus in corde et in domo pauperum legendum, quo indigeant; ac beati sunt illi, qui sic in pauperum interioribus legunt, ut eis necessaria præbeant: *beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, id est *qui intus legit*, ut explicat D. Augustinus. Avarus autem non intus legit, nec serio considerat, quid pauperibus desit, et quo egeant, ut illis succurrat: quin imo nec oculos habere videtur, ut eorum miserias intueatur. Tempore publicæ famis per vicos et plateas vagari solent pauperes: tunc facies gerunt macilentas et nigras: tunc a nimia fame quam patiuntur, mortui potius videntur, quam vivi; nec tamen illos aspiciere dignantur avari: *denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis* (Ther. 4, 8). Verum velint nolint, aliquando pauperes intuentur avari; at oculis compassionis eos non vident; eos ita vident, ut non videant; vel eos vident sicut dives epulo in inferno sepultus, Lazarum vidit: *elevans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus* (Luc. 16, 23). Vident pauperes a longe, et quasi rem quæ eos non tangit; non intra pauperes legunt, quod in hoc mundo Christi pauperis personam gerant, quodque sint a Deo missi, ut divites ad misericordiam moveant: non legunt, nec scire volunt, quod in die judicii æternis addicentur supplicio, si in hoc mundo pauperum necessitatibus non occurrerint: vident pauperes a longe, et quasi rem sibi indifferentem, nec ad illos accedunt, ut iis subveniant, et vel modicas eleemosynas erogent: atque ut exemplis utar, divites avari eodem modo pauperes videant, quo Romanæ urbis incendium aspiciebat Nero. Dum enim crudelis hujus imperatoris jussu urbs Roma arderet, et gravi vastaretur incendio, citharam pulsabat ille, Homeri cantabat carmina, et expressam incendii imaginem in Smaragdo aspiciebat. Sic sane pauperes intuetur avarus; cum enim exquisitis dapibus est saturatus, vel dum ludit, aut alia aliqua oblectatione animum relaxat, obvios pauperes casu quandoque intuetur; neque tamen videt eos oculo commiserationis, ut eis subveniat: ita durus et inhumanus est, ut eorum miseriam nunquam illum ad misericordiam flectant. O quantam avarorum inhumanitatem! Re-

miniscantur vero quod si in hoc mundo in pauperes inhumani sint, in tremendi iudicii die Deus eorum non miserebitur. Tunc cuique avaro dicit Deus; vis ut tui miserear? tui non miserebor, quia in pauperes non fuisti misericors: ut enim a me misericordiam obtineres, oportebat prius te pauperum misereri: *nonne oportuit et te misereri conservi tui?* (Matt. 18). Velles tunc, o avarus, erga pauperes fuisse misericors: tunc optares iis subvenisse; fac nunc, quod tunc fecisse velles; in pauperes te misericordem exhibe, et in eos inhumanus esse desine: sic agendo non eris ex his avaris, *qui in seipos exitiosi sunt et crudeles.*

III PARS.

Avarus est sibi ipsi exitiosus.

Animæ et salutis suæ curam summo affectu suscipere quisque debet: non circa gloriam studeamus, quæ extinguitur; non circa corpus, quod senescit; neque circa pulchritudinem, quæ marcescit; non circa delicias, quæ defluunt; neque circa pecunias, quæ pereunt; sed circa animam omnem curam impendamus. Sapientes quidem et felices, qui totis conatibus animæ et salutis curæ invigilant. At stulti, infelices, et sibimetipsis plurimum infensi, qui e contra faciunt, e quibus principem locum tenent avari, qui animas suas salvare non curant, sed eas: 1. vendunt; 2. criminibus multis coinquant; 3. in infernum præcipitant.

1. Anima rationalis in se, et secundum suam naturam spectata, est quid toto mundo corporeo pretiosius, quia est substantia spiritualis. Si vero eadem anima conferatur simul cum pretio quo empta est, adhuc longe pretiosior apparet ex eo quod sanguis Christi, ejus pretium, est infiniti valoris. Avarus autem ita sibi ipsi extat exitiosus, ut animam suam, quæ spiritualis, et Christi sanguine empta est, despiciat, parvipendat et pro nihilo vendat. Docente enim Spiritu Sancto, homine avaro, qui inor-

dinato et nimio affectu pecuniam amat, nihil est iniquius: *nihil est iniquius quam amare pecuniam* (Eccl. 10, 10). Cujus rei rationem subdit, dicens, quod avarus qui nimis amat pecuniam, *animam suam venalem habet*, id est ad vendendum expositam, ut explicat Hugo cardinalis. Quo autem pretio vendit hanc animam infiniti valoris? *etiam pro obolo*. Eam vendit pro uno beneficio quod assequi ambit, pro una dignitate ad quam anhelat, pro uno prædio quod pauperi cuidam rapere molitur; brevi pro uno nummo; *etiam pro obolo*, inquit præfatus Cardinalis. O quam cæcus, stultus, sibi que exitiosus est avarus, qui aurum et argentum, quæ nil aliud sunt, quam terræ excrementa, animæ suæ spirituali, immortalis et pretioso Christi sanguine redemptæ insipienter præfert, eamque pro obolo vendit. Irascimur nonnunquam in perfidam Judam; execramus ejus malitiam, quæ tanta extitit, ut Deum, paradisum et animam pro paucis denariis vendiderit; attamen, ut inquit Doctor Seraphicus, « sepe pejor est avarus homo, quam ipse Judas, qui vendidit Christum triginta denariis, quia interdum avarus Christum et animam pro uno denario vendit ». O quam iniqui sunt avari, qui animam pretioso Christi sanguine redemptam diabolo vendunt, quoties mortaliter peccant! O quam sibimetipsis exitiosi qui animam, cujus pene infinita est præstantia, pro modico pretio, et quasi pro uno obolo, ac pro uno denario vendunt. Nec tamen hæc una est avarorum dementia et crudelitas in seipos, est et alia non miror, *qua nempe animam suam criminibus multis inquinant.*

2. Avaros, qui nimio affectu terrona congregant, maledictione sua fert propheta, dicens: *ve ei qui multiplicat non sua: usquequo et aggravat contra se densum lutum?* (Habac. 2, 6). Lutum aggregant avari, cum aurum et argentum inique congregant, quæ, ut ait Tertullianus, nihil aliud sunt quam lutum speciosum et pulchrum; *quid est aurum nisi lutum?* iis autem maledicit propheta, quia, uti docet sanctus Gregorius, hi simul cum luto pecuniarum peccata multa congregant; *avarus contra se densum lutum aggravat, quia terrena lucra cum pondere pec-*

cati congregat (Pastor. 1, 22). Nec dubium, quod peccata multa congregent avari, et innumeris se peccatis inquinent, cum omnium peccatorum radix et origo sit avaritia: *radix omnium malorum est cupiditas* (1. Tim. 6, 10), seu ut explicat sanctus Ioannes Chrysostomus, *avaritia: nullum enim genus peccati est, quod aliquando non proveniat ex avaritia*. Reapse, inquit D. Bonaventura, ex avaritia tanquam ex mala radice oriuntur usuræ, rapinæ, latrocinia, fraudes negotiatorum, advocatorum deceptiones, acceptiones munerum, simoniae, lusorum iniquitates, blasphemias, perjuria, et omnia quæ fere in mundo sunt peccata. *Hinc*, ait sanctus Ioannes Chrysostomus, *sive in domo, sive in foro, sive in iudiciis, sive in curiis, sive in regijs, sive ubicumque omnia mala pullulare videbis* (hom. 6 ad pop.). Siquidem quis innocentes opprimit, nisi avaritia? quis opifex et mercenarius mercede fraudat, nisi avaritia? Quid puellarum prostituit pudicitiam, quid fidem vendit matrimonialem, quid falsa testimonia excogitat, quid scripturas falsificat, quid testamenta avertit, quid iudices corruptat, et ad iniquas sententias preferendas inclinat, nisi avaritia? Quid pupillum et viduam facultatibus spoliat? quid venena miscet et propinat ad velocius pretensam hereditatem assequendam; quid mendaces, perjuro et deceptores efficit mercatores; quid sacramenta, aliasque res sacras pretio vendit; quid meretricibus lupanaria replet, nisi avaritia? Unde tot simoniae, tot usurae, tot ludii prohibiti, tot proditiones, tot insidias, tot bella injusta, nisi ab avaritia? ex avaritia sane omnia fere totius mundi oriuntur crimina: *hinc omnia mala pullulare videbis*. Verum est, quod quilibet avarus his omnibus non inquinatur peccatis, ast cum quis spiritu avaritiæ, seu inordinato bona temporalia assequendi affectu accenditur, ad omnia peccata perpetranda paratus videtur, ut facultates angeat, et quotiescumque divitias multiplicandi sese offert occasio, omne peccatum facile patrat, ut eas multiplicet. Si beneficium simoniace obtinendum occurrat, hoc facit; si merces operariorum fraudanda, hoc facit; si iniique auferendi aliena occasio sese offerat, ea aufert; si usuraria luera multiplicandi detur occasio, illa multiplicat. Licet ergo

inferre quod qui divitiarum amore et nimio temporalia requirendi affectu exardescit, ita in seipsum exitiosus fiat, ut animam innumeris inquinat peccatis: *ex quo consequens est, ut illum in infernum præcipitet*.

3. Ubi sunt tot avari, qui a mundi primordio divitias inordinate amarunt: qui usuris, fraudibus et dolis sua multiplicaverunt: qui Dei et conscientiae suæ oblitii sunt, atque in pauperes duri et immisericordes extiterunt? *ubi*, inquit propheta, *qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt* (Baruch. 3, 18-19). In infernum hi omnes præcipitati sunt, et in infernum præcipitantur omnes avari, quia hi vix unquam convertuntur: *Qui aurum diligit, non justificabitur* (Eccl. 31, 5). Tantum abest ut convertantur, quin contra avaritia eorum *semper crescit, et senescere ignorat* (Zeno Veron.), et quo ipsi seniores sunt, eo majori affectu ad temporalia acquirenda anhelant: cum igitur hi non convertantur in hoc mundo, procul dubio post mortem exterminabuntur, et in infernum præcipitabuntur: *exterminati sunt, et ad inferos descenderunt*. In infernum præcipitatus est dives epulo: in infernum præcipitatus est Judas, et in infernum præcipitabuntur omnes avari, qui in hoc mundo divitiis, quasi vestibus involuti sunt: *desperierunt omnes involuti argento*. In infernum præcipitabuntur, in inferno æternum cruciabantur, et ut loquitur Amos propheta, divitiæ, quas nimio affectu dilexerunt, erunt quasi spinæ accensæ, a quibus dirissime pungentur, et crudelissime comburentur. *Audite verbum hoc vacca pingues*, inquit propheta: *audite hoc avari, qui bonis pauperum, pupillarum et viduarum impinguati estis; audite hoc vos, qui calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes; juravit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in contis, seu, ut vertit Pagninus, levabunt vos in spinis* (Amos 4, 1-2). Quasi dicat, scitote, quod hæc divitiæ, quas tanto affectu prosecuti estis, erunt quasi spinæ accensæ, quæ in æternum vos pungent et comburent. Sanctus Iacobus apostolus ait; quod aurum

et argentum ab avaris in hoc mundo collecta, erunt in inferno quasi ignis, a quo vorabuntur carnes eorum: *Aurum et argentum vestrum æruginavit: et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* O qualem æruginem, quæ etiam erit ignis, a quo vorabuntur carnes avarorum in inferno! Nonne melius fuisset eis, tot divitias non congregare, nulli injuriam facere, suum cuique redere, et in pauperes se beneficos præbere, quam inferno et æternis ejus cruciatibus addici? O avari, quid proderit vobis, domos, agros, et prædia multa comparasse, si in inferno æternum sepulti maneatis? quid proderit, nunc viduæ, nunc orphani, nunc artificis bona inique abstulisse, si relictis hisce bonis, ad sempiterna inferni supplicia perferenda condemnerimini? quid proderit, multa filiis et hæredibus bona reliquisse, si dum gaudebunt hi, vos in inferno ploretis, et dirissimos cruciatu patiamini? Tunc fatebimini, quod nil vobis profuerit, divitias multas congregasse, et hæredibus testamento reliquisse. Tunc cum aliis reprobis dicetis: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* (Sap. 5, 8). Tunc poenitebit vos, nimio et inordinato affectu divitias dilexisse, eas inique acquisivisse, et eas non debite impendisse; at inanis erit hæc poenitentia. Operamini modo, quod tunc egisse velletis; *agite nunc divites, plorate ululantes in miseris vestris, quæ advenient vobis* (Jacob. 5, 1). Prævidete æterna inferni supplicia, quibus addicemini, si non convertamini. Dicite intra vos, si hanc vineam, illam domum, et alia quæ inique possideo, non restituiam, nunquam regnum cælorum obtinebo; ad æterna tartari supplicia infallibiliter damnabor. Dicite intra vos, si bona hæc quæ possideo, iuxta Dei placitum non expendam, nunquam Deo placebo, ideoque ab eo sempiternis inferni tormentis adjudicabor. Hoc dicite, ac prævidentes imminetia vobis hæc tormenta, plorate, ululate et poenitentiam agite, *plorate ululantes in miseris vestris, quæ advenient vobis.* Plorate, inquam, et agite nunc, quod egisse velletis, si in inferno essetis, *agite nunc divites.* Si in mediis inferni ignibus essetis, velletis haud dubie sua cuique restituisse, ea

jam restituite; velletis, illata a vobis damna reparasse, ea nunc reparare; velletis facultates vestras debite impendisse, hoc *agite nunc divites,* et post mortem in cælo divitiis omnibus affluetis. Amen.

FERIA VI POST DOMINICAM TERTIAM.

DE DIVINA GRATIA.

Si scires donum Dei (Joan. 4, 10).

Hæc est differentia inter Dei et creaturarum amorem, quod creaturæ bonitatem necessario supponant in objecto amato, Deus vero bonos efficiat eos quos diligit. Amor quo nos prosequuntur creatura, ita vacuus, inanis et sterilis est, ut nil nobis boni conferat, Dei autem in nos amor ita fecundus et efficax est, ut nos si mali simus, bonos faciat. *Ex dilectione Dei, quæ vult creaturæ bonum, producit in ea bonum* (S. Thom). Testes advoce quotquot mundo placere, ac ejus benevolentiam sibi conciliare studuerunt. Dicite vos, qui creaturarum amore tanto studio comparare conati estis, dicite an non illarum erga vos affectus sterilis et forte exitiosus exiterit? fatemini amorem hunc vobis nonnisi somnia, phantasmata, et forsam amaritudines parturisse; e contra Dei amor summe beneficus semper operatur bonum nosfri causa, ac ne puncto quidem temporis a benefaciendo cessat. Præcipuum autem bonum, quod in hoc mundo a Deo nos amante percipimus, est gratia ejus; quod bonum simul et donum quod a munifica ejus manu recipimus heu nimium! a multis vel ignoratur, vel pro nibilo habetur. Quam cæcitatem deflens Salvator exclamat: *si scires donum Dei!* Merito igitur de hoc Dei dono, seu de divina gratia aliquid fusius ac diligentius disserere congruit, idque